

Dissertatio medica inauguralis de alvi constipatione / [Johann Sigfried Mueller].

Contributors

Mueller, Johann Sigfried.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : J.H. Reis, 1678.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ab4vv9ke>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

B. C. D.
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

De

ALVI CONSTI- PATIONE,

Quam

SUMMO DUCE ARCHIATRO

Authoritate & Decreto Gratosæ

Facultatis Medicæ in Alma Tubingensi,

P R Æ S I D E

MAGNIFICO UNIVERSITATIS h. r. RECTORE

DN. GEORG-BALTHASARE

METZGERO, Med.D. & P.P.

Patrono ac Præceptore suo æternùm devenerando.

Pro Licentia

Summos in Arte Medica Honores, Insignia atq̃

Privilegia Doctoralia, legitimè consequendi,

Publico Eruditorum Examine sistit

IN AULA NOVA

Ad diem Augusti,

JOHANNES SIGFRIDUS Müller /

Neolitho-Hoenloicus.

T U B I N G Æ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO MDC LXXVIII.

V I R O

*Admodum Reverendo, Dignissimo
atque Excellentissimo,*

DN. CHRISTOPHORO WÖLFFLINO,
SS. Theologiæ Doctori famigeratissimo, Sere-
niss. Würtemb. Duci à Concionibus Aulicis & Confessio-
nibus sacris, Ducalis Consistorii Assessori, nec non Lau-
reacensium Præsuli gravissimo, Cognato suo atque
primo studiorum suorum Promotori loco Paren-
tis piè, sanctèque æternùm
colendo,

U T E T

Germano suo charissimo

V I R O

Nobili, Praclarissimo,

DN. HENRICO JACOBO MÜLLERO,
Serenissimo Württembergiæ Duci à Consiliis
Redituum & Rationum Cameralium
fidelissimo,

PRO. COLLATIS. HACTENUS. BENEFICIIS.

IN. MENTIS. GRATIÆ. SYMBOLUM.

UTQUE. BENE. DE. SE. MERERI. PERGANT.

Dissertationem hanc inauguralem

Dat. dicat. consecrat.

Obsequiosissimus Cliens,

Fidelissimus Frater

JOHANNES SIGFRIDUS Müller.



B. C. D.



Rita in *Medicorum* Schola vox est: *Quæ bene ingerit, bene digerit, bene egerit, sanus est.* Ratio è longo petenda non venit; cùm enim omne animal, quamdiu sal-
vum fuerit, nutritione indigeat; hæc autem, nisi extrinsecus advocatô & in-

gestô alimentô, nisi hõc bene digestô inque succum & sanguinem conversô, fieri nequeat, quis non videt, à bona ingestione, parique digestionem præcipuum valetudinis punctum dependere. Nec minoris felix egestio momenti est: Quantum enim sanis pariter ac morbo-
sis vel sola immorigera alvus, ut alias egestionis vias nunc modosq; taceam, cùm suum non faciat officium, negotii sæpe facessat, præter quotidianam experien-
tiam ipse *Cornelius* noster testatum reliquit, ventris, inqui-
ens, torpor omnium conturbationem & vasorum im-
puritatem affert, *6. epid. s. 3. t. 1.* Unde, ut in foeminis, quod ex ore *Scherbij Casp. Hoffmannus* monet, semper est quærendum de mensibus, in pueris de lumbricis, *l. 1. de loc. aff. c. 8.* ita secundum *Hippocratem* sub primo sta-
tim accessu inter alia ægrum interrogare oportet, an alvus secedat *l. de affection.* pro vita enim longa nihil u-
tilius, quàm quotidiana alvi excretio, nihil incommo-
dus & deterius, quàm nisum expultricum facultatum, ani & vesicæ, negligere, verbis *Franc. Oswaldi Grembsii*
arb. integr. & ruin. hom. l. 3. c. 2. par. 77. 78. Rei itaque di-

gnitate, vel potius necessitate, persuasus, locô *Inauguralis Thematicis*, Symptoma communissimum, agro & Medico molestum, **Alvi Constipationem** sub examinis incudem vocabo, hujus naturam, causas, signa & curationem plenius exploraturus. Deus successum secundet.

THESIS I.

Alvi igitur constipatio, adstrictio, obstructio, detentio, durities (his enim & similibus nominibus insignitur *Affectus praesens*) quid sibi ratione nominis velit, in vulgus jam notum est; τῆς κριλίας στένωσις *Dioscoridi*, ξηρότης *Hippocrati* audit. Qua rem; *Est naturalis excrementorum alvinorum dejectionis defectus ab expultricis Intestinorum frustratione ortus.*

II. *Defectum* dum assero, *naturalis dejectionis*, symptoma actionis laesae indigito, hujusque vel abolitae penitus, si planè nulla fit excretio, vel imminutae, si aliqua, valetudini tamen bonae conservandae non sufficiens, materiae excernendae non correspondens, quarum hinc nulla excluditur; peccatur utrinque, luereque peccatum hoc totum subinde corpus, & partes omnes coguntur, ut infra constabit. Addo *alvinorum excrementorum*; ut caetera seponam, quae hujus loci & viarum harum non sunt, in oeconomia tamen humana naturaliter & quotidie generantur: Ut enim impossibile est, fabrum scrinarium operari sine scobibus; ita impossibile, ullam fieri in corpore coctionem sine excrementis, verbis praecit. *Hoffmanni*. Omnium tamen evidentissime prima coctio, quae in ventriculo & intestinis fit & absolvitur, sordes ex necessitate materiae colligit, easque cum aliis aliunde confluentibus, cum in alios natura usus convertere nesciat, si bene sibi consultum vult, in tempore, debitâ copiam viâque, ejicit; secus ubi accidit, symptoma hoc nostrum nascitur, & cum eo mali omnis lerna.

III. *Subiectum Intestina* voco, locum ubi naturaliter crassiores alimentorum feces colliguntur, excrementitii humores aliunde confluant, & suo excernenda tempore stabulantur. Statim autem quæstio

quæstio nascitur; an totum corpus hoc tubulatum, quod intesti-
 norum communiter nomine venit, à pyloro ad sedem usque pro-
 tractum, subiectum agnosci debeat? *Riolanus* omnibus hoc inte-
 stinis commune symptoma facit: quod verum, si tam transmit-
 tentes quàm excipientes viæ considerentur, secundùm *Theodor.*
Schenckium Exerc. Anat. 5. l. 1. sect. 2. c. 18. omnibus data est in-
 terna tunica movens, omnibus motus peristalticus datus, quod
 ex *Franc. Glissonio de ventriculo & intestinis* mox planius patebit;
 Imò jam nominatus *Cass. Hoffmannus de loc. aff. l. c.* etiam super-
 addit ventriculum qui malè dispositus egestionem quoque impe-
 dit. In specie duodenum instrumentum obstructionis fieri nemo
 inficiabitur, qui situm ejus sub pancreate cognitum habet, quò
 induratò & compressò subtus duodenò, ut nausea non rarò &
 vomitiones sequuntur, ad exemplum à *Dominico Panarolo* nota-
 tum *pentecost. 1. obs. 44.* ita etiam alvi obstructiones de facili o-
 riuntur. Obstructum hoc à lapidibus nucis moschatæ magnitu-
 dine & plumbeò colore visum à *Trafelmanno* recenset *Th. Bartho-*
linus in instit. Anat. stercore refertum durissimò prædictus *Pana-*
rolus pent. 3. jatrolog. obs. 29. conspexit. Nec de jejunò aliter
 cogitandum pari ex parte cum priori situ gaudente. *Modernorum*
 qui delectantur placitis, asserti inde hujus felix subsidium accersere
 possunt; dum enim succi hi biliosi, pancreatici & salivalis conflu-
 xum hîc fieri, in alvinarum præprimis sordium, per novam hinc
 ortam effervescentiam, sequestrationem, credunt, quis non ani-
 madvertit, non factâ feliciter sequestratione hâc, inter alia, sym-
 ptomati & huic amplas hîc fenestras foresq; aperiri? Consulân-
 tur *Francisc. de le Boe Sylvius in Idea Medic. præct. Bernhard.*
Swalve pancr. pancr. &, qui cum his faciunt, plures. Ileum,
 stercoreum primum elaboratorium & stabulum, secundum *Glisso-*
nium l. c. c. 24. adeò hîc absolvi non potest, ut, quibus non suffi-
 ciunt variæ remorandis p. n. excrementis convolutiones, suas vel
 ipsum, quas confert hîc, vires in iliaco malo satis superque præ-
 bet, dum alvo occlusâ per superiora scybala alvina redire jubet,
 in hernia intestinali prolapsum, alvum ad gangrænam, imò mor-
 tem usquè suppressit. Cæcum quidem, coli appendicula, quod
 potissimis extra uterum usu destitutum, nec singularia ad Medi-

cinam facientia suppeditare creditur, an culpā aliquā teneatur, in medio relinquo; communes cum cœteris intestinis affectiones habere *Schenckius*, l. c. largitur, multaque hîc asservari non per dies tantum sed per menses *Andr. Laurentius* asserit, indeque devoratos ceraforum nucleos post quartum demum mensem reje-ctos scribit l. 6. *Anat. c. 14. Job. Fernelius* crassiorē hîc pituitam diutius coerceri, nonnunquam in calculos concreſcere autumat 6. de part. morb. & sympt. c. 9. mortem ipsam miram alvî adstrictionem sequutam fecibus in cœco coacervatis, *Marcellus Donatus. Hist. Med. mirab. l. 4. c. 10.* notavit, ut idē non sine ratione hoc suspectum *Tb. Bartholinus* habeat c. 3. epist. Med. 70. cent. 4. epist. 92. In colo verò præcipuè colligi alvinas feces, experientia, dolor ab inflatione & distensione natus, sexcenta alia, abundè comprobant. Intestinorum omnium amplissimum hoc est, ut primæ coctionis excrementis recipiendis, & ad necessitatem supprimendis par sit, situm musculis abdominis contiguum accepit, ut horum compressionem in egerendis fecibus primum sentiat, propellatque in rectum, unde laxatis post fibris sphincteris annularibus rectò efferantur, Naturæque voto satisfiat: contrà, si contrà sit.

IV. *Causam immediatam*, ad commune placitum, dixi, *frustratam intestinorum expultricem*. Frustratur autem hæc vel expellendæ materiæ, vel intestinorum ipsorum, causarum mediatarum proximarum, culpā; Materia expellenda præcipuè quidem assumptorum & in ventriculo & intestinis contentorum moli adscribitur, ad cuius etiam copiam aut inopiam, nec non qualitates varias, expultricis exercitium sese habet: Contribuunt tamen symbolum etiam suum partes secretioni dicatæ aliæ, quæ sua pariter secreta in communem hunc intestinorum ductum deponunt, & quidem, si *Glissonius* l. c. c. 24. calculum rectè posuit, duplò circiter plus, ut excernantur. Hæc, quæ, qualia, quanta sint, ad mentem suam *Cass. Hoffmannus* explicat, l. c. c. 2. verius ea *Glissonius* determinasse videtur l. c. c. 24 §. 6. quibus *Thomas Willis* ex hypothesi sua liquorem ex nervearum fibrarum extremitatibus extillantem associat *pharmac. ration. s. 6. c. 6.* culpamque merentur vel quantitate eaque vel excedente, si justò

copiosiora viam sibi ipsis intercludant, secundum *Hieron. Capivaccium. l. 3. pr. Med. c. 13.* vel deficiente, si pauciora vel nulla sint, quæ expultricem non satis vel planè non sollicitant; qua de posteriori tamen causa an rectè hic recenseatur, non immeritò cum *Paulo Ammanno in paran. ad Instit. l. 2. sect. 3. c. 6.* dubito; quò enim modò, quod non est, accusare, aut alvum constipare potest? Non entis nullæ sunt actiones. Vel qualitate, si calida nimis & sicca, dura minusque mobilia descensum præpediunt; si viscida, tenacius adhærentia, propulsioni pertinaciter resistunt, si vi stimulante quacunque careant. Intestinorum culpa varia occurrit, quatenus præsentis objecti ingrati perceptione non gaudent, vi motivâ destituuntur, vias non satis liberas, non rectè dispositas offerunt. In perceptione objecti vel quantitate vel qualitate molesti principaliter expultricis facultatis fundamentum consistit; expellit enim non nisi quod molestum, quod displicet, unde naturali sensu quodam displicentiæ hujus intestina opus habent, qui si abest, nec intestina ad moliendam excretionem irritantur. Dein motus intestinorum naturalis, quò expulsio perficitur, requiritur; non enim excrementa seipsa movent, sed ope & contractione fibrarum suarum motum intestina naturalem, testudineum ferè, peristalticum dictum, patiuntur, quò à parte ad partem sensim sensimque excrementa propelluntur & ad alvum usque protruduntur; qui si diminutè exercetur, miri nihil alit, si illa etiam diminutè excernuntur. Motus hujus in intestinis adhuc calentibus in abdomine recens aperto, nec non extra abdomen per vulnerationem effusis, manifesta ad oculum vestigia notare licet. Naturali motui huic voluntarius alius in subsidium venit, quò reclusò ani sphinctere musculisque abdominis compressis excrementa rejiciuntur; hoc læsò expulsio itidem vacillat. Denique viæ liberæ, cavæ, lubricæ desiderantur, per quas materia exportatur, quæ vel per congenitum vitium vel adscititium transitum materiæ denegant, de quibus omnibus & singulis jam circa causas mediatas remotas plenius.

V. Harum primæ sunt ex *naturalium rerum* ordine petitæ, temperamentum calidum & siccum, quod alvi naturâ siccioris non rarò author est; frigidum & siccum, v. gr. Senum, quibus

ideò præ aliis ætatibus siccam habere alvum magis convenit apud *Hippocratem de affection.* habitus calidior corporis, cutis raritas 6. *epid.* s. 3. t. 1. quæ multam humiditatem transmittit. Inter anni tempora hyems aquilonia malè audit 3. *apt.* s. & 11. 12. *comment.* exiccat enim & refrigerat; quæ s. xum virilis, ceu calidior & siccior, præ muliebri citius hæc tentatur; quæ vitæ genus gravidæ magis quàm aliæ huic expositæ infortunio sunt; uterus enim tumidus feces compressis intestinis supprimit. *Gottofredus Mœbius* dispositionem etiam hæreditariam ad tribunal citat, l. 2. *par.* 2. c. 6. contagiò à parentibus cum semine & lacte uterino in sobolem transfusò. Naturalis intestinorum angustia in nonnullis obstaculo esse potest.

VI. Ex non naturalibus operam suam pollicetur *Aër*, cujus ambientis cum qualitatibus corporis nostri humoribus quasi necessaria intercedit analogia, isque potissimùm frigidus, qui quæ in ventre sunt, indurat ex 6. *Epide.* s. 7. t. 26. adde *comm. Gal.* s. t. 27. calidus, æstivus & fornacis *Capivaccio* l. c. suspectus. Ventus aquilo *lib. de humor.* & 3. *aphor.* s. eòdem nomine inculatur. Conspirant cibi notatis jam antè vitiis & qualitatibus imprægnati, copiâ excedentes, calefacientes, nimis exiccantes, aromatici, crassi, viscidi, digestu difficiles, vel flatulentia divites, unde coctioni, secretioni & excretioni negotium faciunt, motum ad alvum impediunt, materiam suspendunt; austeri, acidi, stiptici & adstringentes, primâ præsertim mensâ sumpti & jejuno ventriculò, secundùm communem, (qua de tamen *Gvern. Rolfincius meth. Med. spec. comment.* l. 2. s. 3. c. 58. *Bernhard. Svalve querel. & opprob. ventric.* censura observatu digna est) corrugant internam cavitatem & consequenter lubricitatem necessariam, pervertunt. Hos inter panis ὁ πᾶν aliàs, cùm nihil huic deest, primas habet, quantitate ventriculum nimium gravans, ex officina sua recens calensque, ob ætatem mucidus, bis coctus, nauticus, minus fermentatus, plumbeus, adde *Kergerum de ferment.* s. 3. c. 2. Juvant boum aratorum & vetularum vaccarum carnes, aliæ succi crassi feraces, fumò induratæ, pisa, lentes, fabæ, caseus, 4. *de viâ. rat. in acut.* Non sine ratione farinam crudam *Fabrit. Hildanus* c. 6. *obs.* 34. & *Mich. Ettmüllerus in valetud. infantil.* c. 2. §. 16.

2. §. 16. cum lacte vel aqua subactam & in pulmentum instar viscosi glutinis redactam in infantibus detestantur, bibliopegis pro glutinandis chartis utiliore, quam pro nutritione, quorum ille inde periculosissimam pylori obstructionem natam scribit *l. c.* Inter stiptica & adstringentia veniunt cydonia, pyra, poma austera, mespila, sorba immatura, castaneæ præsertim crudæ: alimenta delicata, paucis scoriis excrementitiis prædita; nec non inediam ad alvi etiam stipticitatem facere communis doctrina est, de quibus *Thes. 4.* jam dixi. Paria cum cibus potus pollicetur, vel nullus, vel debitò parcior sumptus, unde nec chylus, nec feces diluuntur satis, vel jam damnatis præditus viribus alius. Frequenti calidarum sulphurearumque aquarum usu non nemo, exsiccatas fibras corrugatisque intestinis, nec non motu peristalticò impeditò, obstinatam expertus fuit alvum apud *Tb. Bartholinum cent. 4. Histor. Anat. 40.* Acidulæ multò spiritu acidò ditatæ idem minantur. Spiritum vitrioli sincerum & similia *Glissonius* huc trahit, quod pylorum nimis coarctando strangulant, ut hinc nihil è ventriculo exeat, *l. c. c. 24.* ab usu decocti columbi cum fassa fr. arefacta concidisse intestina *Joh. Rhodius c. 1. obs. Med. 87.* testatur; ab essentia roris-marini familiariter sumta, humidò ventriculi absumptò, *Panarolus* in patre quodam Cappucino exsiccata stercora suspicatur, *pentecost. 3. obs. 29.* idemque à calidis medicamentis aliis contigisse *Marcellus Donatus Hist. l. 4. c. 10.* refert; conspirare cum cibus & potu adstringentibus medicamenta adstringentia experientia quotidiana testis est. Sudorifera, diaphoretica, humiditatem corporis ad *ὑπερβολήν*, diuretica, purgantia debiliora in matulam profundentia, alvum exsiccant; hypnotica, narcotica, expultricem sopiunt: nimius quin & purgantium usus, præter id, quod lubricitatem intestinorum tollat, intestina sui hinc oblita muneris segnescere facit, secundum *Bernhard. Svalve disquis. therapeut. gener. f. 2.* Motus immoderatio, equitatio & vectio in curru velocior secundum *Sennertum l. 3. prax. p. 2. f. 3. c. 4.* in culpa sunt, ut & itinera sub sole calidiore facta, longiora exercitia alia, unde humidum aliò vocatur, sensibilibiter aut insensibilibiter dissipatur, excrementa suspendunt; ita ob insensilem transpirationem nimiam alvus vix intra octiduum, idque parum, excrevit,

crevit, *ephem. naturæ curiosorum ad annum 72. obs. 46.* Otium ut in genere mali omnis origo est, rectèque Satanæ in moralibus pulvinar dicitur, ita *Senecâ* teste, ad hoc iners vergit valetudo, atque huic quoque morbo fomentum præbet; languescit enim sub hoc tantum non omnis corporis vigor, sed & in specie expultrix vis remittit, humoresque viscosi, pituitosi cumulantur p. n., de quibus post. Huic præcipuè causæ frequens hoc & quasi proprium symptoma Literati & vitâ sedentariâ gaudentes debent. Somnus & vigiliæ si modum excedunt, pari cum prioribus passu ambulant, alvum impediendo, utque feces tardius descendant, procurando. Excrementa ipsa sibi obicem ponunt, si in specie ventriculi & intestinorum reliquiæ inutiles debitò per inferiora tempore non exeunt, sed intestina infarciunt; ita ob neglectam quidam fecum depositionem in itinere miraculosam alvi adstrictionem incurrit, apud *Salmuthum c. 3. obs. med. 45.* Si pituita intestinalis plus justò aucta, inspissata, vias obstruit, inviscat, quod fatum *Lipsii* fuisse in vita *Heurnii* legitur, ubi evacuata post materia intestinum ejectum mentita fuit; similèque quid aliis evenisse *Fernelius l. 6. de part. morb. & symptom. c. 9.* testis est. Si viscida sensum obtundit, si bilis, hepatis excrementum, non influat sufficienter, alvinarum scoriarum non modò sequestrationem non juvat, sed & felicem, promptamque secessionem, non abstergendo, non diluendo, non stimulando, impedit. Si humor pancreaticus debitam sui miscelam denegat, acidior, quasi convulsione tunicarum interiorum, retractione ad superiora factâ, motum peristalticum ordinarium invertit, unde ad os subinde redeunt excrementa, quo de casu legi *Job. Drawizius* meretur de *sympt. scorb. c. 8.* Si flatus naturales, qui secundum *Glissonium l. c. c. 24. & seq.* intestina à flacciditate vindicant, motum eorundem peristalticum distributivum exercent atque vigorant, fibras tunicarum ad expulsionem stimulant &c. non adsunt; adde *Helmontium de flat. n. 37. & 39.* Missionem sive Venerem, quæ in ventre sunt, indurare *Hippocrates* author est, *6. epid. l. c.* Animi pathemata ut in totum sibi corpus ejusque actiones jus sumunt & potestatem, ita & alvum sistere posse, per exempla & rationes eunti, nec dictu, nec probatu, difficile erit. Igitur hoc supersedeo labore & ad *Causas* p. n. quæ restant, transeo.

VII. *Has tantum non omnium viscerum partiumq; dispositiones p. n. suggerunt; potiores brevitatis amore tangam. Venter, siue calidior sit, & corrumpat cibos in nidorulentum quid siccumque, siue frigidus & non debito tempore, non feliciter, finiat coctionem suam, egestionem alvi impedit, judiciò C. Hoffmanni l. c. Pylorus obstructus apud Hildanum l. c. scirrhus apud Phil. Salmuthum, c. 1. obs. med. 20. transitum in intestina prohibet. Ipsorum intestinorum intemperies calida & sicca feces exiccat; frigida & humida fibras, ne contrahantur, laxat, tumores inflammatorii aliique vias intercipiunt, obstruunt calculi, vermes, pituita viscida, materia nigra, instar terebinthinæ tenax, quam non, nisi febriculâ comite, mulier quædam excernere potuit, apud Th. Bartholinum c. 4. Histor. Anat. 40. quælibet corpora solida alia intra intestinalem fistulam subsistentia idem patrant; exemplo fuerunt aurei nummi deglutiti apud eundem c. 3. epist. med. 69. nuclei cerasorum & prunorum trium plus minusve librarum pondus æquantes apud J. Nicolaum Binningerum c. 2. obs. 20. plumæ, lapilli, filum & stramen ab infante excreta apud Fabr. Hildanum c. 3. obs. chir. 75. Spongiam compressam & deglutitam imbibitâ humiditate hæerere in transitu & suffocare Glissonius scribit. Excrecentia carnea instar renis vervecis biennalis causam obstructionis præbuit, ephem. nat. curios. ad ann. 6. & 7. obs. 97. Substantia membranacea jejuni in cartilagineam indurata apud Ballonium 1. epid. ad ann. 15. 24. ileum nodosum, contortum, ob motum peristalticum variâ fibrarum flexione impeditum, difficilem alvum fecerunt ephem. nat. curios. ad ann. 1. obs. 126. malumque hoc ab ipsâ statim conformatione accidisse, & frequentius fortè hodiernum fieri, quàm observatur, Author l. c. suspicatur. Illapsus intestinorum, ubi vel pars inferior superioris in se portionem haurit & absorbet, vel secundum Sylvium inferior subit superiorem l. c. (casum utrumque Gerhardus Blasius obs. med. p. 3. l. 3. vidit), obicem ponere potest; ubique enim contentis transitus præcluditur. vide Panarolum pentec. 1. obs. med. ult. Th. Bartholinum c. 4. epist. med. 93. & hoc quidem Glissonius frequentius, in ileo, rarius Warthonus in colo factum observavit. Hocque positò eò minus de convoluto hoc ipso intestino, quin idem patrare possit,*

possit, cum *Francisc. de le Boe Sylvio l. 1. prax. c. 15.* dubitandum; vidit hoc septem diversis in locis ita convolutum, ut cibus, potui & fecibus, omnem denegarit transitum *P. Barbette in prax. l. 4. c. 7. obs. 2.* deprehensam eandem *Magnificus Dominus Præses* in Gymnasio Patavino novit, & his & pluribus oculatis testibus *L. Riverius accedit prax. l. 5. c. 2.* Intestinorum vulneratio aut ruptio, quæ colo accidit apud *Benningerum l. c.* coërcuit alvum, per umbilicum excrementis ejectis in *ephem. nat. curios. ad ann. 3. obs. 64.* ex inguine dextro propter herniam exulcerato *ibidem obs. 122.* in abdominis cavum effusis apud *Riverium c. 3. observ. Med. 26.* Asperitas & corrugatio interioris tunicæ fecum descendui, etiam liquidarum, ad secundum vel tertium diem resistit secundum *Glissonium l. c.* Hernia intestinalis, umbilicalis, gangrænâ non rarò & morte ipsâ sequentibus, obstructionis causa fit: scirrhus, ulcus cancrösium cæci malum peperit apud *F. Hildanum c. 1. obs. chir. 61.* Flatuum p. n. retentio secundum potissimos subinde obstaculo est, ut nec egredi quicquam è ventre, nec ingredi possit; verisimilius tamen hîc quasi convulsionem intestinorum seu contractionem parietum superiora versùs fieri autumo, quam ipsa prodere cura causam videtur, quæ humectantibus & relaxantibus illam intestinorum retractionem feliciter perficitur, vid. *Job. Drawizius l. c. c. 8.* In ano ipso sæpe impedimentum est, si stercora hîc cumulantur & indurantur; exemplum *Panarolus* reliquit *pentec. 3. obs. 28.* si vasorum hæmorrhoidalium tumor, condylomata viam obsident: si ulcus hîc nascitur *ephem. nat. curios. ad ann. 2. obs. 77.*, si coalescit secundum utraque latera ex *Marcello Donato l. 4. Hist. med. mirab. c. 10.* quod post dysenteriam factum notavit *J. Rhodius c. 2. obs. med. 82.* si obstruitur à re extrinsecus immissa; sic à cauda porcina meretrici in anum intrusa apud *Petrum de Marchettis obs. chir. de fistul. ani & intest. recti obs. singulari ult.* alvus integrum sextiduum suppressa fuit; si planè clausus & imperforatus est, cujus exempla hinc inde petere potes. Ani stupor, paralyxis, nimia refrigeratio, vis narcotica, nervorum resolutio, sensum tollunt, animale spiritum subtrahunt; qua ex causa posteriori in nobili virgine excretiones omnes ad plures annos abolitas *Gu. Ander-*

nacus comm. med. vet. dialog. 8. memorat. In eundem effectum tumores aliaque vitia partium vicinarum, mesenterii, hepatis, pancreatis, lienis, renum, uteri, vesicæ, abdominis, conspirant, comprimendo, alterando, bilis aut pancreatici humoris influxum impediendo &c. Læsi peritonæi alvi contumaces obstructions oriri, coccyge intortæ feces morari *Theodor. Schenckius exerc. Anat. 4. l. 1. f. 2. c. 12.* author est. Musculi abdominis undecunque læsi subsidium, quod debent, non afferunt, mens ipsa laborans in deliriis molestiam non curat, non animadvertit. Variolæ materiam ad cutim, catarrhi ad nares, salivatio ad palatum vocantes, aberrationis à via ordinaria causæ existunt: vasorum denique lacteorum p. n. rapacitas à *Glissonio* quoque in jus trahitur.

VIII. Transeo ad *Signa*, quorum nonnulla affectum ipsum, nonnulla causas produnt, nonnulla futura præfagiunt. Quà priora multum laborandum non est, malum enim ipsis sensibus patet, ægrorumque hoc querelæ satis superque manifestant. Causas autem ut noris, harumque varietatem distinguas, in curationis præsertim puncto, maximi res momenti est; quî enim auferes, quod ignoras? quî curabis, quod nescis? De externis, an scil. aër, cibus aut potus, ingesta alia, an motus corporis aut animi, similiaque iuculpari possint, æger & adstantes Medicum monebunt; internæ σοχασμῶν Medici accuratiori opus habent. Ventriculi intemperiem & intestinorum propria manifestabunt symptomata, indigestam crudam multam in ventriculo materiam crassam plerumque & viscidum sputum, post sumtum cibum ructus, compressio thoracis, spirandi difficultas ostendunt: pylorum occlusum materię comestæ jugis per vomitum rejectio, inflammationem intestinorum dolor ingens, fixus, distendens, febris &c. produnt, tumor subinde manu tactuque palpari potest, ex *6. de loc. aff. 2.* Feces induratas assumpta exiccantia, potus intermissus, suspectas reddunt, intestina loco mota & quocunque prolapsa, sensus observant. Lacteorum rapacitas, excrementa sicciora, duriora, in forma pilularum, stercoreis caprini instar, relinquit. Intestinorum illapsus, convolutio, contorsio, non nisi post obitum patent. Intestinum rectum afflictum sedes doloris, frequens dejiciendi cupiditas ex *Rod. à Fonseca t. 2. consult.*

sult. med. 90. ostendunt. Anus clausus tactu & visu judicatur; pituitam tenacem & p. n. cumulatam cruditas præcedens multa, flatu plurimi, murmura familiaria, ventris frigus patefaciunt: bilis impeditum influxum icterus accusat, humiditates alias aliò raptas sudores multi, nimia *Ἀφύρσις*, *διέρσις*, salivatio, variolæ, catarrhi monstrant; viscerum vicinorum intemperiem calidam caloris p. n. in affecto loco sensus, subinde etiam *φλόγῳσις* in facie detegunt; stuporem, sensum abolitum, nervorum resolutionem, animalium spirituum defectum, paralyxis, apoplexia, venter &c. indicant: ubi calculi vel vermes in culpa sunt, propriis se signis revelant.

I X. Quà *Prognostica*, utut non rari visi sint, qui alvum constipatam quasi naturalem & innoxiam circumferunt, qualis fuit, qui semel solùm per integram septimanam, & quidem die semper Jovis exoneravit ventrem apud *Phil. Salmuth. c. 2. obs. med. 65.* alii secundâ, tertiâ, quartâ septimanâ apud *Job. Rhodium c. 2. obs. med. 81. Ephem. nat. curios. ad ann. 73. obs. 265.* tertio vel quarto mense apud *Panarolum pentec. 1. obs. med. 1.* Integrum post biennium apud *Welschium obs. med. Rümpler. 68.* deposuere: plerumque tamen *ex cit. l. 6. epid. f. 3. t. 1.* res malè cedit, indeque obruto capite dolor, vertigo, fiunt apud *Schenckium l. 1. obs. med. p. m. 163.*, memoriæ debilitas apud *Th. Mermannum l. 3. consult. med. 25.* appetitus, coctio, læduntur, vomitus, colica, ileum malum oriuntur, febres surgunt teste *Bartholino c. 6. obs. 38.* catarrhi apud *Schneid. l. 4. de catarrh. f. 1. c. 4.* corporis totius lassitudo, refrigeratio quasi morientis, lipothymia, sequuntur; æger prorsus mutatus, macilentus, pallidus, facie cadaverosa, totus foetidus factus fuit, apud *Panarol. pentec. 3. observ. 28.* epilepsiæ, in pueris præsertim, prodromus est apud *L. River. obs. com. à D. Petro Pacheco 50.* sanguinis vanus conatus è naribus stillicidium, lacrymarum ex oculis fluxum, ani, uteri, sed imperitis, procidentiam, veriùs membranæ pudendi extensionem, secundùm *Barbette chir. c. 8.* minatur, apoplexiæ metum apud *Salmuth cent. 2. obs. 65.* facit, imò mortem ipsam apud *Rhodium c. 2. obs. 77. Panarolum pentec. 3. obs. 29. River. obs. comm. à Jac. Formio 18.* infert. Potissimùm autem malè ominari debemus, si ab

ab inflammatione intestinorum dependet, quæ plerumque lethalis; si à contortis, convolutis, nodosis, illapsis intestinis, si ab hernia incarcerata, à coalitu laterum intestinorum, res fere desperata habenda. Si tamen in illapsu pars intestini inferior subit superiorem, curationis spes superest secundùm *Sylv. loc. c.* In paralyfi, veterno, apoplexia, miserimus itidem ægri status est; Si anus clausus secundum totum muscolum coaluit, incurabile; contra, si membrana tantum obducta est in exterioribus; intestinorum quasi convulsio multum non rarò etiam negotii facessit; obstructio à fecibus ut plurimum non ita difficulter curatur, si tamen stercora nimis indurata, quasi incuneata sunt, præsertim in tenuibus, quod accidit Patri Cappucino apud *Panarol. l. c. pentec. 3. obs. 29.* in omnibus intestinis, quæ referta instar sanguicolorum in inspectione comparuere apud *River. in obs. Form. comm. 18.* mortis non rarò causa fiunt; pituita viscidior totum colon obducens apud *Salmuth. c. 1. obs. 78.* verè gypsea idem infarciens, ut solidum totum videretur, apud *Fernel. 6. de part. morb. & sympt. c. 9.* omnibus fecibus suppressis enecuit. Feliciorem fortunam mitiores causæ spondent. Ætati quod debetur malum, ætate solvitur ex *2. aphor. 20.*

X. Quà Curationem, omnis illa in causarum ablatione consistit, quæ ut variæ sunt, ita varia etiam remedia postulant; intemperiei nimirum corrigendæ alterantia debita præscribenda, feces induratae emolliendæ, lubricandæ, referendæ viæ, expultrix stimulanda, obstacula omnia removenda, pituita crassa, viscida incidenda, abstergenda, bilis & pancreaticus humor in viam reducenda, naturalis horum effervescencia promovenda, motus intestinorum peristalticus juvandus, situs restituendus, partium aliarum peccantium ratio pariter habenda. *Auxilia* in quamcunque parata partem ex consuetis fontibus, *chirurgico, pharmaceutico, dietetico* petenda.

XI. Querere autem non abs re est: an etiam hîc quid subsidii *Chirurgia* subministret? Venæ sectio generosissimum alioquin remedium audit in gravissimis morbis, quod sæpe unicum faucibus ægrum mortis subducit; quam & hoc loco probo, si ab intemperie calida, forti inflammatione sive intestinorum sive

viscerum vicinorum, malum dependet: *Alex. Trallianus* alvi & urinæ excretionem ita sæpe promovit *l. c. de colic. dolore ex intest. inflamm.* ita *Balthasar Timæus* in alvi constipatione à lienis intemperie nata venæ sectione usus fuit. *l. 3. cas. medic. 14.* post hanc sanguifugas hæmorrhoidalibus apponendas in juvene melancholiâ hypochondriacâ laborante, pro calore interno ventilando, *Th. Mermannus l. 3. consult. med. 25.* suavit. In ano clauso omnis in chirurgia curationis spes sedet, qui sectione secundum rectitudinem, ubi vestigium viæ apparet, aperiendus, si membrana crassior & robustior intercedit; si tenuior & mollior, perruptioni digiti sufficiunt subinde, secundum *Paulum*, utut *Aquapendenti* operatio hæc non omnino placeat, *de oper. chir.* post cannulâ plumbeâ aut argenteâ medicamento desiccante, de ceruff. minio, diapomphol. inunctâ & immisâ, ne iterum coalescat vulnus, impediendum; casum & integram curationem *Guilhelmus Fabritius cent. 1. obs. chir. 73.* suggerit. Si totus musculus coaluit, & vestigium ani nullum adest, malum incuratum relinquit *Aquapendens* ob metum vulnerationis musculi, aut fortè secuturum involuntarium fecum exitum *l. c.* In intestini intus susceptione, mediis ordinariis nequicquam proficientibus, *Barbette chir. l. 4. c. 2. pr. l. 4. c. 3.* cucurbitulam magnam non scarificatam parti dolenti aut umbilico reiteratam appositam laudat: imò sectione musculorum abdominis & peritonæi factâ, digitis susceptum intestinum extrahi & ægrum forsitan salvari posse idem credit: quæ eadem in motu intestinorum inverso à contorsione, involutione &c. si tentanda sunt, locum haberent. Huc refero, quod monstro ferè simile est, verbera in obstructione alvi prodesse; ita enim de his *Th. Campanella l. 3. med. c. 5. art. 12.* Princeps Venusæ, scribit, musicâ clarissimus nostrô tempore, alvum depungere non poterat, nisi verberatus à servo ad id adscito; addit, posse hoc motui dari cogenti spiritus ad interiora; quam causam nunc non disputo: usum tamen verberum in Medicina, qui plenius nosse cupit, *Th. Bartholinum & Joh. Henricum Meibomium de flagr. usu. in re med. & vener. evolvat.* Ad præsens *Rolsinccius* negotium formulam jocosè sequentem ordinat: *q. flagrorum vel virgarum paria duo impingantur alternatim lumbis & natibus; solvetur alvus.*

Chirurgiæ nonnulli infusoriæ, multum etiam tribuunt, quâ laxans venæ materia infunditur, vid. *Phil. Jac. Sachsus ocean. macro-microcosm. §. 155.*

XII. Reliqua spes in *Pharmacia & Dieta* posita est, quarum illa medicamenta omnis generis interiora per os & anum offerenda, & exteriora variis applicanda locis subministrat. Notandum tamen in genere & præcipuè circa interiora, *δρασινῆς* periculosis leniora semper præferenda; præcluso enim inferiori gutture dubio procul vano cum successu omnia violentius propulsa per superiora redibunt. In specie autem ad emollitionem fecum, humectationem & lubricitatem, retractionem & quasi convulsionem corrigendam intestinorum, per os oleum oliv. recens, amygd. dulc. ex cerevisia calida, brodio seu juscule carniū, cremore ptisanæ, it. manna Calabr. in juscule, cassia & ol. amygd. dulc. vel decoct. prun. damasc. porrigi possunt. *Cardanus* mannam in aq. borraginis dissolvit, & per balneum Mariæ destillatum ab ℥j. ad ℥ij. propinat. lactis crem. & serum assumpta jejuno ventre per os profunt, pruna laxantia, ficus pingues, passulæ laxat. rob. passulat. si præsertim sanguinis suspectus & viscerum calor est, species diaprun. confectio passulat. *Mynsicht.* elect. de tamarind. vinum passulatum laxativum *Timæi*, cremor tartari, hujusque tinctura cum juscule sumta, pilulæ Angel. bened. *D. Spinæ*, de ammon. ejusd. *Francos.* laxat. *D. Haugii* *D. Glassii.* marocostin. piper album in prunis emollitis secundum *Cratonem* in consil. sui naturam officii admonent; horumque numerum tantum non innumerum promptuaria & hodegi Medicorum varii promunt. *Galenus* quinque caricas, in quarum unaquaq; sem. cartham. decortie gr. 3. vel 4. exhibet, ad leniendam alvum deprædicat. *Roder. à Fonseca* lac asininum c. sacch. ad libram sumtum jejuno ventre remedium singulare vocat *t. 2. cons. med. 90.* Per inferiora clysteres conveniunt, itidem magis emollientes, lubricantes, laxantes quàm acres, fortius stimulant; ex solo ol. communi olivar. lin. butyro & lacte, mucilagine seminis lini, ficuum, malvæ, althææ, butyr. rec. crem. hord. ad mucilaginem & lentorem cocti cum unguent. clysmatico fieri possunt: commodè lac solum tepidum cum melle injectum, aut ol. amygd. dulc. q. s. mixtum clysteris loco

loco esse potest; locò ol. amygd. substituitur chamomelinum liliaceum vel commune. Quod si acrioribus interdum opus est pro intestinali glutine abstergendo, adsumi potest el. hier. picr. c. aggar. Nicol. Logad. bened. laxat. ol. rutac. diacolocynth. &c. clyster ex croco metallorum, filtratò tamen decoctò, multum prodest: ubique tamen aures vellicet illud, ne quid nimis; ne quotidiana in consuetudinem abeant, aut his assuescat natura, nec, nisi clystere vel alio sollicitata, suum ad officium redeat. Notandum insuper gravidis nec clysteres, nec pilulas, præsertim aloeticas, satis congruere, sed diætam fere sufficere alvum emollientem, pruna momento cinamomi conspersa & in aqua cocta, nec non mannæ ℥ss vel ℥j. dulcorata interdum & horum similia, quibus de circa *diætam*. Urgente tamen necessitate clyisma ex lacte, saccharo, butyro, aut ex brodio carnis, saccharo aut oleo communi, addito pauco sale *Th. Mermannus l. 3. consult. 26.* concedit.

XIII. *Suppositoria* succedanea esse possunt, eaque vel ex lardo solo formata, oleò aut butyrò illita; globulus saccharatus moschatus, sebum hircinum, ficus inversa, & oleò olivarum inuncta & similia in infantibus huic officio satisfaciunt. In adultioribus ex melle ad duritiem cocto, salis tantillo, imò etiam speciebus aliis additis, extruuntur. Ex alumine pulveris. tragac. & aq. ros. *Angelus Sala* satis efficacia parat. Aliò planè inusitatò, ligneò cochleari majusculò violenter intrusò, alvum pertinacissimam solvit *Baro* quidam *Silesius ephem. nat. curios. ad ann. 1. obs. 98.* Ligneum suppositorium tale jam antè etiam expertus fuit quidam apud *Salmuth. c. 3. obs. 47.* substituit alius digitum immissum juvenis apud *Panarol. pentec. 3. obs. 28.* In casu desperato, ubi duro nodo durus quærendus erat cuneus, ne quicquam hîc solutivis, sive per os, sive per anum adhibitis, proficientibus, vomitorium ex tart. emet. gr. 6. in aq. pingui non salita datum, adjectò simul suppositoriò, alvus ἀνω καὶ κατω soluta fuit, *ephem. nat. curios. ad ann. 3. obs. 26.* Eadem *Rodericus à Fonseca* admittit in robustis *t. 2. obs. med. 90.* ipseque *Cons l. 2. devict. ratione* commendat, si ob errores externos in diætâ commissos, vel naturalem ventriculi imbecillitatem viscidum & pituitosum congestū fuerit,

XIV. *Helmontius* in ileo, stercore durô, quod contra vulgarem, imò *αὐτοψίαν* ipsam, statuit, intestinum obstruente, neminem, ut jactat, perire sivit, sed potandos globulos plumbeos musquetarum, ut sui solùm pondere excrementum propellerent, dedit: quò enim plures, scribit, hauriuntur & majores, eò tutior & celerior sequitur sanatio; interea æger stet, ambulet vel velut ducatur erectô abdomine; quod etiam in convulsionibus & illapsu, præsertim parte intestini inferiori subeunte superiorem, secundum *Sylvium*, (qui plumbeas & aureas hunc in finem pilulas commendat, ut *Henricus ab Heer* etiam argenteas) spem curationis reliquam facit *l. c.* Alii ex regulo antimonii aliquoties fuso globulos similes formant, alii chalybem deglutiendum propinant. Argentum vivum ad ℥iij. imò ad ℥b. iij. *Paræus* exhibitum refert, eidemque palmam præ reliquis omnibus concedit, innoxiumque sumtum *Henricus ab Heer obs. med. opp. rar. 2.* confirmat. Mortuus tamen nonnemo post propinatum hoc Patavii fuit, rupto ileo in fine sui ad palmæ longitudinem, ut ex ore *Magnifici Domini Præsidis* habeo. Anceps ergo eventus est, & tantùm desperatis, consuetis non juvantibus, à Medicis, quorum autoritas facta tecta est, exhibeantur, secundùm *ephem. nat. curios. ad ann. 3. obs. 315.* Subinde tamen audaces fortuna juvat. In malo aliàs conclamato nonnulli ad follem *Hippocratis* ex 3. de morb. aëre calidiori imprægnatum confugere jubent, qui intestina dilatando obstructionem solvat. Hunc quidem *Petrus Salius Diversus* nec se nec alios felicem expertos esse scribit, præter unicum *Amatum Lufitanum*, qui, ut addit, si ei credendum, semel hac curandi ratione felici cum successu usus est; *Epiphanius Ferdinandus* tamen *Job. Altimari* Medici celebris filium hòc modò ad miraculum usque mortis è faucibus retractum memorat *hist. 74.* modumque applicandi *Alex. Trallianus lib. 10. de colic.* monstrat, sed in inflammatione rejicit. Tussis, sternutatio, vehementiores motus alii, non rarò etiam auxilio sunt, experimentò *F. Plateri l. 1. obs. pari ferè modò*, quo *Cous* partum difficile sternutatione promoveri afferit *s. aph. 35.* Si malum ab aliis causis partibusque dependet, ipsis his debità remotis, partibus in integrum restitutis, curabitur & illud. Prolixè autem huc omnia & singula adducere ob pa-

gellarum angustiam nec libet, nec licet: in specie *Tb. Mermannus* condylomatum curam sistit *l. 3. consult. 31. Bilis & pancreatici humoris correctio ex Sylvio* peti potest. *F. Hildannus* cum pluribus constipationem ab acidulis curandam docet *de acid. Grisebac.* De cæteris Practicorum volumina passim obvia consulantur.

XV. *Externorum* verò dememinisse non oportet, qualia sunt infessus, fomenta, epithemata, unguenta, linimenta, olea, aquæ &c. quæ abdominis variis partibus, plantis pedum, volis manuum, naribus, oculorum angulis admota profunt. Illa ex emollientibus, malv. alth. beta &c. chamom. melil. branca urfina, pariet. sem. lini, mucilaginosi variis confiunt, ut vel æger immittatur, vel abdomini applicentur. Umbilico unguentum clysmaticum, de alth. ol. lin. cum stuppa cannabin. pingu. ans. unguentum de arthenit. emolliens & laxans *Timæi*, ex malva in butyro frixa & fortiter expressa *Solenandri*, imponendum. Præsemina unguium manuum & pedum nodulo inclusa & alligata umbilico, sed ad conatûs sensum, aut secundum alios, post unam horam, ob metum vehementioris fluxus removenda *Jonstonius* commendat, idemque ex aliorum ore *Schröderus lib. 5. pharmac. medic. chym. class. 1. n. 23. Rolfinc. meth. medic. spec. comment. l. 5. f. 7. c. 14.* referunt, ipsasque hydropicorum aquas exantlare creduntur. Vires alii antimoniales, alii ciclaminares & colocynthiacas, imò venenatas prorsus inculant, vid. *Beckerum in microscop. Rolfinc. l. c. l. 5. f. 8. c. 1.* Utut sit, intus præbitam horum rasuram, vel in minima quantitate, *ἀνὰ καὶ τὴν* movisse, etiam antimonio & hellebori extracto incassum datis, *Henricus ab Heer ἀντιπῆς* testis est *obs. cit. 29.* idemque complures alii experti perhibent *Roberti*: sordida tamen hæc sunt *Danieli Ludovici*, Medicastro-
rum negotiationibus quàm comptæ medicorum praxi aptiora, *de pharmac. modern. secul. applic. dissert. 1. de purg. vom.* *Tilemanus* ani orificio sequens applicandum præscripsit: *℞. fell. tauri, salis gemm. aloës, ol. comm. anaticâ proportionem, f. ung. de mat. medic.* Stercora stercus propellere dicuntur, unde bovinum aut efficacius caprillum abdomini admoventur teste *Frid. Hoffmanno in m. m. Wal. l. 1. c. 19.* Aqua aloëtica, sol. *Myns* ventriculo inungitur. Abbatissa quædam quotiescunque purgari volebat, compres-
sas

fas pilulas una ex parte madefactas ventriculo apposuit, suoque ita desiderio satisfecit, authore *Fallopio de purg. c. 2.* Similem pilularum massam Medicus quidam matronæ delicatæ valdè & medicamentorum per os sumtionem omnium respuenti plantæ pedis supposuit, ut purgaretur per alvum apud *Höferum in Herc. Med. l. 3. c. 5.* Aloë & Colocynthis manibus detenta ventrem solvunt, ex *Natb. Highboro corporis hum. disquis. Anat. l. 2. part. 2. c. 6.* naribus alia admota apud *Salmuth. obs. 8. 14.* *Panarola pentec. 4. obs. 28.* *Binningerum c. 2. obs. 86.* oculis instillata: ita empiricus famosissimus *Mart. Rulandus* aquam possedisse fertur, quā majori oculi cantho illitā aut instillatā alvum sollicitare novit; rationem *Rolfinccius* inquirat *differt. Anat. l. 2. c. 25.* sed de his abundè satis.

XVI. Superfunt auxilia è fonte *Dietetico* scaturientia. Aëris autem hîc subsidium non planè nullum est, sed ut calidus & ficcus exiccat, ita frigidus & humidus sine dubio humectat alvumque fluidam facit. Egregium hujus experimentum *Michael Savanarola* in Borsio Ferrariensium Duce vidit, cui, aliis nihil proficientibus, inambulationem nudis pedibus per pavimentum marmoreum frigidā aspersum suavit, alvumque aperuit, *Brassavolò* teste, *de medic. purgant.* idemque didicisse jam dudum ab experientia rusticos scribit *Hieronymus Thriverus comm. l. 2. aph. 20.* si nudis pedibus obambulant ventrem pertinacem solvi, nec exemplō caret; ventre enim frigori in nonnullis expositō, idem fieri, nemo non novit. Consensum pedum cum intestinis *Sennebertus* advocat, quem diversi diversè explicant: sanguinis circulus rem facillè expedit. Aliàs ad pororum cutaneorum à frigore constrictionem alvi fluor sequitur secundum *Willisum in rat. pharm. de purgat. s. 6. cap. 6.* tantum enim ad alvum lubricandam addi scribit, quantum *Αλγνοῦ* solitæ adimitur. Cibus & potus sæpe unicum remedium sunt, laudaturque panis à furfuribus non omninò liber; hic enim illō, qui ex sincera natus farina est, ducendæ alvo aptior, elixa assis præferenda, butyrum recens, olera, cæteris paribus, ad emollitionem accommoda; v. g. malva, lactuca, spinachia, brassica, atriplex, beta leniter elixa: cremor hordei ad mucilaginem cocti; ex fructibus

cerasa dulcia, fraga, poma dulcia, armeniaca, persica bene matura; pulmenta ex uvis passis, ova recentia forbilia, carnes vitulinæ, agninæ &c. profunt; fugienda verò adstringentia quæcunque, cydonia, aliaque hujus ordinis styptica quodcunque etiam tempore sumpta; in fine enim mensæ admissa alvum ducere nec ratione constat nec experientiâ, ut *Tb. Mermannus l. 3. consult. 31.* verè confitetur. Potus etiam cibis conveniens sit, præstatque hîc potius in excessu quàm defectu peccare; Acidulæ multum Martis habentes alvum præ aliis cient. Confert matutina, ante & post mensam, moderata ambulatio: unde prudentiores non à somno statim publicis se negotiis exponunt, sed corpus motitando, ventilando, prius ad excrementorum exonerationem invitant. Vigiliæ & somnus excedentes absint; novi, inquit *Willisius*, plures ventris constipationi obnoxios hîc tantum remediî genere curatos, quod horâ prius assuetâ citius surgerent. Juvat alvum ad stimulum perceptum præstita naturæ obedientia, imo ubi etiam stimulus non est, manè & vesperi ad locum convenientem secedendo naturam excitare & irritare ad officium suum, quàm maximè prodest. Tandem animi affectus, curæ graviores, mœrores & similes exulent; corporis enim humiditates, vires omnes, imò vitam ipsam, teste *S. Codice*, furantur.

Tantum

DEO TRIUNI SIT LAUS ET GLORIA.

I.

Sunt ingesta bene hæc, bene sunt digesta, per Artem
 Quæ Müllere bene hîc egeris: euge vales!

Congratul. f.

PRÆSES.

I I.

Ad Clarissimum Dominum Candidatum

MÜLLERUM, De obstructâ alvo
disputantem.

Miror, ab obstructâ specimen cur sumpseris alvo.
Doctrinæ, tibi cùm cætera cuncta fluant.
 Forsitan ut monstres, aliis quæ obstructa putantur,
Cuncta quòd ingenio sint adaperita tuo.

Ita gratulabundus ominatur

TOBIAS WAGNER, D. Cancellarius.

I I I.

Dum passim, è rigidâ Martis, Mortisque semente
 Morborum exurgit perniciofa leges:
 Promptus ades Müllere, manuque, & voce paratus,
 Haud postremam affers, quæ medeatur, opem
 Larga subest messis! Pistrinam age discute; felix
 Auguror, ex messe hâc Te molitura manet.

LUDWIG GOTTLIEB BREUNING,
 Jun. Ph. & Med. D. Phys. Stuttg.

I V.

Affurget Medicus tandem!

Sonnet.

Der Arabs, deme sonst/ die Aerkzte viel zu danken.
 Als der in seiner Sprach/ viel heilsames Entdeckt/
 Hat doch denselben auch/ ein harten Dorn gesteckt/

In

In dem Er Sie einschleußt/ in Ewige Todes-Schranken/
 Sie werden nicht Erstehn; Schreibt Er/ ganz ohne wancken *
 Wer ist/ den dieser Text von Aerzten/ nicht erschrockt!
 Daß der nicht sollt Erstehn/ der andre auferweckt
 Macht ein betrubtes Herz/ und seltsame Gedancken.
 Euch Herz Licentiat, hat mancher schon versehn.
 Auch unter diese Aerzt/ so nimmer auferstehn;
 In dem Ihr was verweilt. Nun siht man Euch doch leben/
 Und öffentlich auffstehn! Gott schaff Hülff und Verstand
 Daß Ihr recht wol besteht; und Eur Erfahrne Hand
 Muß andren mit der Zeit/ das Auferstehen geben.

* Legit Arabs pro Rephaim mortui, Rophaim Medici, hinc
 nata *παρεγερνεία* duobus in locis Psalm. scil. LXXXVIII.
 v. 11. Et Esaia. c. XXVI. v. 16. utrobique enim est Me-
 dici non resurgent. Vulgatus quoque in Psal. cit. nomen
 Medici minori tamen cum contumelia retinuit; inde Me-
 dici, prout vulgo canitur, in hunc Psalmum introducti
 sunt. vid. Hotting. Dissertat. de Resurrect. num. XXII.
 p. m. 35. 36. Sixtin. Amama Antibarb. Bibl. p. m. 524.
 ubi dura & dira in Medicos à Judæis prolata invenies,
 diluta tamen.

Welches Eilfertigst aus Treuverbundenem
 wolmennendem Herzen
 gratulirend wündschet

M. GUSTAV-ADOLPH Jung/ August.
 Hoch-Gräfl. Hohenloe-Neuensteinischer
 Statt, Pfarrer daselbst.

V.

I Te mali, varioque truces certamine morbi,
 MÜLLERUS Vobis incipit esse gravis!

In gratiam Amici sui
 Disputando inaugurale decus capeffentis
 Gratulabundo animo
 talia cecinit

M. TOBIAS MÆRCKLIN, p. t.
 Colleg. Martin. Oecon.

F I N I S.